



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1849**

XVII. Markgraf Ludwig bestätigt der Stadt Brietzen ihre Rechte, am 29. Juli 1341.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

**XV. Privilegium der Gewandschneider zu Brieghen, vom 14. Dezember 1337.**

In nomine Domini Amen. Quoniam omnium habere memoriam potius est divinitatis quam humanitatis, ideo propter oblivionem intellectus humani necesse est ea, que aguntur, in lingua testium poni et scripture memoria perhennari. Nos igitur Brycene civitatis consules notum esse volumus universis Christi fidelibus presentibus et futuris, ad quos presens scriptum fuerit devolutum, quod pannicide nostre civitatis professionem eorum a nostra manu et potestate acceptaverunt illam propter causam, ut in omnibus necessitatibus eis imminentibus viriliter ac fideliter ipsos gubernemus et qui predictam professionem velint procurare, si digni inventi fuerint ad capiendum eam tunc in honorem Jesu Christi ad lumina ejusdem professionis quatuor talenta cere debent conferre nobisque consulibus in pretorio porrigere debent quatuor grossos, ad consorcium quoque professionis predictorum pannicidarum tertium dimidium fertonem similiter debent erogare. Vt igitur hoc factum de maturo consilio et unanimi consensu predictorum pannicidarum inviolabile permaneat et firmum, super hoc jam sepe dictis pannicidis presens scriptum dedimus et illud civitatis nostre appensione sigilli fecimus communiri. Hujus facti testium nomina sunt infra scripta videlicet consules Brycene Gheldekinius, Johannes Rotftok, Johannes Wegener, Michel Brakewitz, Johannes Nichelmann, Johannes Golden qui tunc consilio civitatis presuerunt, Datum super pretorium civitatis Bricene Anno Christi M. CCCXXXVII decimo nono calendas mensis Januarii in die Nicasi episcopi et martiris.

**XVI. Bischof Friedrich von Brandenburg bestätigt die Verbriefung des Herzogs Rudolph von Sachsen für den Calandsaltar in Brieghen, am 30. März 1340.**

Nos Fridericus Dei gratia Brand. Ecclesie Episcopus presentibus recognoscimus et ad notitiam deducimus plurimorum, quod donationem Illustriss. principis Domini Rudolphi Ducis Saxonie Senioris factam Altari fratrum Calendarum sito in Ecclesia beate nostre Virginis in Brizna, per quod ipsum Altare dotatum esse dignoscitur, et pias elemosinas fratrum eorundem, prout in originali authentica ipsius Domini Ducis plenius continetur, Laudamus, Approbamus et in Dei nomine presentibus confirmamus. In cujus Confirmationis clariori testimonio sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Ziefer anno Domini M. CCCXL feria quarta post dominicam Letare.

**XVII. Markgraf Ludwig bestätigt der Stadt Brieghen ihre Rechte, am 29. Juli 1341.**

Ludouicus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavarie, Sacri Romani Imperii Archi Camerarius, Prudentibus et discretis viris consulibus et universitati civitatis Brizen fidelibus suis dilectis gratiam suam et omne bonum. Ob fidelitatis vestre constantiam in vobis omnimode repertam ad notitiam universonum et singulorum, quibus oblatum fuerit presens scriptum, cupimus pervenire, quod vos et singulos vestre civitatis incolas in omnibus ju-



ribus, gratiis, commodis, libertatibus et honoribus probabilibus seu debite consuētis apud Predecessores nostros Marchiones Brandenburgenses bone recordationis usis hactenus et gavisis, volumus gratuite conservare. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Datum Berlin Anno domini Millesimo CCC quadragesimo primo, die dominico post diem beati Jacobi apostoli.

**XVIII. Markgraf Ludwig verkauft der Stadt Brietzen die Heide oberhalb und unterhalb der Stadt, den Zoll mit den dazu gehörigen Holzungen, am 9. August 1342.**

In nomine Domini Amen. Ludovicus Dei gr. etc. omnibus hanc literam cernentibus in perpetuum. Gesta hominum ducerentur frequentius in irritum et inane, si non voce testium et scriptis autentice recipere firmamentum. Nosse igitur presentes volumus posteros nec latere, quod de matura deliberatione ac voluntate libera cum unanimi nostri consilii consensu civitati nostre Brietzen vendidimus, apposuimus, contulimus et presentibus conferimus Myricam superius et inferius ante dictam civitatem sitam, Insuper thelonium in tacta Civitate cum lignis ad antedictum thelonium pertinentibus inter Beliz et Brietzen sepe tactam situatis, videlicet superius Wardenbrugge usque ad metam Monachorum inferius, dimidietatem medie paludis usque ad malum, aggerem et molendinum Claufsdorff ac ad agrum Vile Schepp et ultra latitudinem et longitudinem usque ad locum Carbonifandi prope Niendorff et ad arbores metam notificantes prope Brugge et Linthow et quicquid ligni aut mirice ibidem intra continetur cum omni utilitate fructibus usibus et attinentiis pacifice et quiete perpetuis temporibus possidendum. Ut igitur hec donatio nostra a nobis nostrisque heredibus aut successoribus seu ab aliquo non possit futuris temporibus immutari, presentem literam conscribi iussimus et Sigilli nostri appensione communiri. Testes huius rei sunt Nobilis Dominus Guntherus Comes de Schwartzenburg, Summus noster Consiliarius, Johannes de Buck, Tetzels de Bernstein, Advocatus noster in dicta Brietzen, Milites, et alii plures fide digni. Datum Spandow Anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo secundo. Feria sexta ante diem Laurenty Martyris.

**XIX. Des Rathes zu Brietzen Privilegium für die dortige Bäckerzunft, vom 16. Dez. 1342.**

In nomine Domini Amen. Ne ea, que coram nobis aguntur excidere labili videantur memoria et ne ab aliquibus in posterum attemptari poterint calumnia, ipsa litterarum serie et testimonio fecimus perhennari. Hinc est quod nos consules et jurati Civitatis Brizene Universis ac singulis presentes litteras inspecturis volumus fore notum, quod nos contulimus seu dedimus et damus Pistoribus nostris in copia opus eorum pistrinum seu vulgari sermone guldam vel Innunghen matura totius communitatis civitatis nostre premissa voluntate pariter et consensu, hiis quidem conditionibus interpositis et premissis, videlicet, quod quilibet pistorum annuatim in censu civitati det quatuor solidos denariorum parvorum usualium, quos binis temporibus anni scilicet duos solidos in festo Walpurgis et duos in